



**R. P. Ioannis Præpositi Atrebatis, E Societate Iesv, S.
Theologiæ Doctoris, & quondam in Vniuersitate
Louaniensi ac Duacensi Professoris, Commentaria In
Tertiam Partem S. Thomæ De Incarnatione Verbi ...**

LePrévost, Jean

Dvaci, 1629

Qvæstio LXIX. De effectibus baptismi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94249](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94249)

alio sineindifferenti vendi, vendatur eo sine vt baptizetur.

Dices 2. facile fieri potest vt tales infantes postmodum recedant à fide, si intelligant se à parentibus abstractos vt baptizarentur.

Resp. 1. idem incommodum sequi posse ex baptismo collato filiis hæreticorum, propter quod tamen non negatur Ecclesiæ potestas illos inuitis parentibus baptizandi.

Resp. 2. posse curari, vt cum adoleuerint, bene instruantur in fide, & nulla parentum mentio ingeratur, vnde non debet censer morale periculum propter quod moraliter loquendo non liceat tales paruulos baptizare.

Sed difficultas est an liceat baptizare non separando à parentibus. Duobus modis potest intelligi id esse illicitum: primò quia est contra ius paternum; secundo, quia saltem est contra religionem & reuerentiam Sacramento debitam.

Durand. & Sotus suprà censent esse contra iustitiam. Suarez disp. 25. sect. 5. censet saltem esse contra religionem. Valquez verò disp. 155. censet per se loquendo non esse illicitum. & quidem non esse contra iustitiam facile potest ex dictis colligi: cum enim dominus habeat potestatem suum mancipium gubernandi, nullam parenti infert iniuriam baptismum illo inuito procurando. non peccat etiam per se contra reuerentiam baptismi debitam, quia potest diligenter curare ne proles seducatur à parente, cum accesserit vsus rationis, vel prolem, vel parentem vendendo, vel aliter occurrendo malo impendenti. Quòd si aliquis in particulari non possit sufficienter periculis occurrere, nullo modo debet prolem baptizare inuito parente infideli.

Petes num Domini, qui possunt proles suorum mancipiorum illis inuitis baptizare, ad id obligentur? negat Suarez suprà sect. 6. Lorca disp. 37. citata. Afferunt Valquez disp. citata. cap. 7. Turrianus disp. 53. dub. 2.

Quæ sententia per se loquendo videtur probabilior: quia supposito iure domini quod præbet facultatem procurandi baptismum paruulo, charitas videtur obligare vt res adeò necessaria illi procuretur. nec verum est hanc obligationem ad solos parentes spectare, nam potest spectare etiam ad alios respectu quorum paruulus est in graui necessitate; ergo etiam ad dominos, qui si reddant paruulum parentibus vel vendant alijs ethnicis, de æterna salute periclitabitur, de qua bene sperari poterit si procuretur ei baptismus & inter Christianos educetur. Argumenta Suarez non tam videntur probare dominum non teneri procurare baptismum quando potest licite, quam non posse procurare sine peccato in circumstantijs ab eo positis, vt facile patebit ea consideranti.

Dici per se loquendo, quia per accidens possunt excusari, vt si quis non possit commodè tot mancipia alere &c.

Ex his duobus dubijs facile potest resolui num filij Iudæorum inuitis parentibus possint baptizari: id enim pendet à questione, num Iudæi sint mancipia Christianorum: in qua pugnantes sunt Doctorum sententiæ, alijs asserentibus, alijs negantibus, quibus videtur fauere S. Th. hic ad 2. quod etiam satis declarat modus quo principes cum illis se gerunt.

Nec obstat cap. etsi Iudæos, de Iudæis & Sacerdotibus, vbi dicitur, etsi Iudæos, quos propria culpa seruasti perpetue seruimus. quia Pontifex non vult

eos reipsa esse mancipia Christianorum, cum insequentibus contrarium insinuet, sed solum indicat suâ culpâ dignos redditos, qui in seruitutem redigerentur.

Ex his patet non posse illorum filios ijs inuitis baptizari.

Iudæorum filij non possunt ijs inuitis baptizari.

ARTICVLVS XI.

Verum pueri in maternis uteris positi sint baptizandi?

NEGAT, quod est expositum suprà quest. 66. art. 8. dub. 3. sub finem.

Resp. neg.

ARTICVLVS XII.

Verum furiosi & amentes debeant baptizari?

RESOLVTIO etiam huius articuli potest facile ex dictis colligi, nam si amentes nunquam vsum rationis habuerint, idem de illis est iudicium quod de paruulis, de quibus dictum art. 9. si verò habuerint, non debent baptizari nisi prius constet illos baptismum aliquando petiisse: sufficit verò testimonium vnius fide digni, nec requiruntur conditiones quæ in iudicijs communiter exiguntur in testibus. debet tamen aliquo modo constare quòd voluntatem non retractarint, & quòd obicem Sacramenti effectui non posuerint, ad quod sufficere si nihil sciatur de huiusmodi retractione vel obice.

Resp.

Vt amentes baptizari possint sufficit eum petiisse, ex testimonio vnius fide digni, modo vtrūq; constet voluntate non retractasse.

QVÆSTIO LXIX.

De effectibus baptismi.

ARTICVLVS I.

Verum per baptismum tollantur omnia peccata?



FIRMAT.

Notandum olim quosdam hæreticos negasse peccata per baptismum tolli, de quibus agit Gregorius lib. 9. epistolæ epist. 39. versus finem; quod resuscitauit Lutherus vt patet ex art. 2. inter damnatos à Leone 10. vbi docet peccatum in puero post baptismum remanere. quibus similia docent alij hæretici cum volunt peccatum tegi, non imputari, non verò tolli.

Resp. affir.

1. Quidam hæretici negauerunt peccata tolli per baptismum. Luther.

Sed fide certum est per baptismum peccata verè remitti & deleri.

Conclus. Catholica.

Probatur 1. in Symbolo Concilij Nicæni dicitur, confiteor vnum baptismum in remissionem peccatorum in Concil. Florent. decreto de Sacramentis dicitur, huius Sacramenti (scilicet baptismi) effectus est remissio omnis culpe originalis, omnis quoque peccati, quæ pro ipsa culpa debetur. vide etiam decretum eiusdem Concilij de purgatorio. in Trident. sess. 5. can. 5. dicitur, si quis per Iesu Christi Domini gratiam, quæ in baptismo confertur, reatum originalis peccati remitti negat, aut etiam asserit non tolli totum id quod veram & propriam peccati rationem habet, sed

Prob. 1. Nica. Florent.

Prob. 2. ex
Script.
Ezech. 36.

A. 2.

Ephes. 5.

Tit. 3.

Coroll.

Rom. 7.

Per pecca-
tum Apo-
stolus con-
cupiscentia
intelligit.

Conclus.
Catholica.
Florent.
Trident.

2.

Pœna ho-
minibus
debita non
remittitur
per bap-
tismum.

illud dicit tantum radi aut non imputari, anathema sit. vide Concil. Mileuitanum cap. 2.

Probatur 2. ex Scriptura: Ezech. 36. effundam super vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus iniquitatibus vestris. Et, Et dabo vobis cor novum, & spiritum novum ponam in medio vestri. quem locum de baptismo intelligunt Hiero. & S. Thom. hic argumento sed contra, & plures alij. Act. 2. penitentiam agite, & baptizetur unusquisque vestrum in remissionem peccatorum vestrorum. ad Ephes. 5. mundans lavacro aquæ in verbo vitæ, (scilicet Ecclesiam) ut exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam non habentem maculam aut rugam. ad Titum 3. saluos nos fecit per lavacrum regenerationis & renovationis. Probatur etiam potest ex ijs quibus significatur per baptismum nobis aperiri regnum cælorum, à cuius aditu per solum peccatum prohibemur.

Patres prætereo, quorum est constans doctrina peccata per baptismum verè remitti, cum plerique ex necessitate baptismi colligant peccatum originale in parvulis, & in primis August. pluribus locis.

Ex his Scripturæ & Conciliorum testimonijs habemus non solum peccatum non imputari ratione baptismi, sed etiam verè deleri, & animam mundari, renouari, & per interioriorem renovationem gratiam effici. vide Concil. Trident. sess. 6. cap. 7.

Habemus 2. in adultis legitimè dispositis remitti etiam peccatum actuale, siue illud sit mortale siue veniale. patet ex Florent. dicente effectum huius Sacramenti esse omnis culpæ etiam actualis remissionem, & baptizatos morientes antequam culpam aliquam committant, statim ad regnum cælorum & Dei visionem pervenire. videri etiam potest Trident. sess. 5. can. 5. citato.

Dices 1. Apostolus ad Rom. 7. agnoscit etiam in baptizatis habitare peccatum.

Resp. ex Concil. Trident. sess. 5. citata, peccatum eo loco non sumi ab Apostolo pro peccato verè & propriè dicto, sed pro concupiscentia, quæ ita vocatur, quia ex peccato orta est, & inclinat ad peccatum.

ARTICVLVS II.

Utrum per baptismum liberetur homo ab omni reatu peccati?

RESPONDET liberari ab omni reatu pœnæ pro peccatis debite, scilicet apud Deum, ut patet ex solutione tertij. Conclusio est certa ex Florent. & Trident. supra, ex quibus patet baptizatos, si de nouo non peccent, nihil remorari ab ingressu cælorum, & ijs nullam iniungendam satisfactionem pro peccatis præteritis, quæ omnia possunt confirmari ex ijs quæ tradit Trident. sess. 6. cap. 14. & sess. 14. cap. 2.

Dixi pœnæ apud Deum debite, quia pœnæ debite apud homines non remittuntur per baptismum, ne detur hominibus licentia peccandi spe impunitatis apud homines obtinendæ, & ne frequentes sint hæc conversiones. Adde intelligi de pœnis directe debitis, quia constat experientia per baptismum non tolli in hac vita omnes pœnalitates & incommoda quæ occasione peccati inveniuntur in genere humano; v. g. famem, sitim & alia quæ naturam humanam destitutam iustitia originali comitantur. Deus enim huiusmodi pœnali-

tates ad agonem & meritum reliquit. videri potest Trid. sess. 5. citata, similiter S. Th. art. sequenti, qui ex his manet explicatus.

Aduerte remissionem omnis pœnæ in baptismo non provenire ex præfata natura iustificationis, cum constet iustificatos non semper consequi remissionem totius pœnæ peccatis debite; sed provenire ex Dei clementia, convenienter tamen institutioni baptismi, cum baptismus sit spiritalis regeneratio, & per eum Christum perfectè induamus. videri potest alia ratio in Trid. sess. 14. cap. 8.

ARTICVLVS IV.

Utrum per baptismum conferantur homini gratia & virtutes?

AFFIRMAT. patet ex Concil. Trident. sess. 6. cap. 7. ubi agitur in terminis de iustificatione quæ fit per baptismum, & docetur formalem causam nostræ iustificationis esse iustitiam Dei, non quæ ipse iustus est, sed quæ nos iustos facit, quæ videbatur ab eo donari renouamus spiritu mentis nostræ, & non modo reputamus, sed verè iusti nominamur & sumus, iustitiam in nobis recipientes. & infra. unde in ipsa iustificatione cum remissione peccatorum hæc omnia simul infusa accipit homo per Iesum. Christum, cui infertur, fides, spes, & charitas. Confir. per baptismum homo reconciliatur Deo & mundatur, hæc autem reconciliatio & emundatio, non fit sine infusione gratiæ & charitatis, ut patet ex eodem Concil. sess. citata can. 11. vide dicta supra quaest. 62. art. 1. dub. 1.

Petes an hæc gratia sit habitualis, an verò actualis? Resp. in parvulis necessitatio asserendam esse habitalem, cum sit de fide gratiam illis conferri, ut patet ex can. 7. de Sacramentis in genere sess. 7. & ex can. 5. sess. 3. item ex Florent. decreto de Sacramentis, illi autem nullum possint habere actum quo dicantur iusti. idem dicendum de adultis; nam licet hi possent dici iusti à iustitia actuali sibi inhirente, nihilominus asserendum iustitiam, quam acquirunt in baptismate, esse habitalem, cum cessantes ab actu dicantur iusti. 2. quia iustitia quam recipiunt per baptismum differt ab eorum dispositione, ut patet ex cap. 7. sess. 6. citata: adulti autem non aduertunt alium actum sibi infundi per baptismum; igitur dicendum infundi habitum. 3. potest infundi iustitia eiusdem rationis & naturæ tam adultis quam parvulis, estque magis consentaneum per eandem causam quodammodo naturaliter agentem infundi; cum ergo sit necessariò asserendum parvulis infundi habitalem, idem quoque de adultis dicendum. 4. constat attritionem non posse dici gratiam iustificantem in eo qui solum attritus accedit ad baptismum; ergo alia est ponenda virtute Sacramenti, hæc autem non est alia quam habitualis, cum baptizatus neque statim neque necessariò experiatur in se affectus dilectionis Dei super omnia, vel perfectæ contritionis.

Preter habitum gratiæ & virtutum ratione baptismi conceduntur quadam auxilia specialia conducencia ad finem baptismi, v. g. ad repressionem fomitis, ad dignè accedendum ad Sacramenta, vide dicta quaest. 62. art. 2.

ARTICVLVS V.

ARTICVLVS V.

Utrum conuenienter attribuantur baptismo quidam actus?

H VNC articulum proponit ad explicandum quomodo aliqua baptismo tribuatur, scilicet Christo incorporare, illuminare, & fecundare. Respondetque affirmatiue, quia homo per baptismum fit membrum Ecclesie, & recipit Christi characterem, unde conuenienter dicitur illi incorporari. 2. quia baptismus dicitur Sacramentum fidei, & externa eiusdem professio; cum ergo fides dicatur lumen, apte tribuitur baptismus quod illuminet. 3. quia per illum acquiruntur gratia & virtutes quibus homo redditur fecundus ad bona opera, & ideo apte dicitur fecundare.

ARTICVLVS VI.

Utrum pueri in baptismo consequantur gratiam & virtutes?

H VNC articulum proponit propter quosdam antiquos qui censebant paruulis in baptismo non infundi gratiam & virtutes, sed solum characterem, cuius virtute in adulta etate gratiam & virtutes recipiunt. sed

Respondet etiam pueros in baptismo recipere gratiam; est de fide, vt patet ex dictis art. 4. Probaturque a D. Th. quia aliis paruulante vltim rationis non consequerentur vitam æternam, quod est hereticum, vt patet ex Concilijs, citatis art. 4.

Causa erroris istorum antiquorum fuit quod nescierint distinguere inter habitum & actum, vt notat D. Thom. in corpore.

ARTICVLVS VII.

Utrum effectus baptismi sit apertio iannae regni celestis?

A FFIRMAT. patet ex dictis art. 1. & 2.

ARTICVLVS VIII.

Utrum baptismus habeat in omnibus æqualem effectum?

Q VÆSTIO non intelligitur de characterē, qui ad sui infusionem non requirit vllam specialem dispositionem, sed inseparabiliter committitur substantiam Sacramenti, & proinde non potest cum fundamento inæqualis constitui. Non intelligitur etiam de effectu qui ex opere operantis conceditur, ratione dispositionis accedentis ad Sacramentum, sed de eo qui confertur ratione Sacramenti. Neque etiam intelligitur de effectu priuatiuo seu de remissione peccati, cum dispositio quantumvis remissa sufficiens ad peccati deletionem sufficiat ad remissionem omnis culpa.

Notandum effectum baptismi alium esse per se, alium per accedens, seu alium comparari ad baptismum tanquam ad causam per se, respectu

autem alterius baptismum se habere per accedens, neque ad illum ordinari ex sua institutione. his prænotatis D. Th.

Respondet duabus conclusionibus.

Prior est, effectus ad quem baptismus per se ordinatur est æqualis in omnibus æqualiter dispositis; unde accedentes ad baptismum cum æquali dispositione recipiunt æqualem gratiam sanctificantem.

Probatur ex Concil. Trident. sess. 6. cap. 7. dicente institui in nobis recipientes unusquisque secundum mensuram quam Spiritus S. paratur singulis prout vult, & secundum propriam cuiusque dispositionem, & cooperationem. vbi agit de iustitia, quæ confertur ratione baptismi, tanquam instrumenti iustificationis, & proinde de illa quæ conceditur ex opere operato.

Probatur 2. baptismus confert suum effectum instar causæ naturalis; causæ autem naturales in subiectis æqualiter dispositis æqualem effectum producant.

Ex his sequitur 1. baptismum habere æqualem effectum gratiæ in omnibus paruulis baptizatis, similiter in perpetuo amentibus; illa autem videtur minima, quæ ratione baptismi conferri solet.

Sequitur 2. adultos suscipientes hoc Sacramentum cum legitima dispositione ad consequendum gratiæ effectum, semper recipere maiorem gratiam quam paruulos, qui nullam possunt adferre dispositionem.

Sequitur 3. adultos posse fortiri inæqualem effectum, & reipsa fortiri, si inæqualiter disponantur, vt D. Thom. videri possunt dicta quæst. 62. art. 1. dub. 2.

Quod verò dicitur de inæqualitate dispositionis, intelligendum de propria dispositione suscipientis Sacramentum; neque enim audiendus quidam recentior, qui insinuat maiorem gratiam per baptismum concedi ei pro quo plures & meliores Deoque gratiores orant, vt gratiæ per baptismum particeps fiat quia probitas aliorum per se nullam inducit varietatem in subiectis, unde non facit vt Sacramentum operans instar causæ naturalis perfectiorem gratiam possit conferre; & illi opinioni videtur aperte aduersari caput 7. Concil. Trid. citatum.

Nec est simile de gratia actuali seu auxilio præueniente; cum enim ea nobis etiam immeritis & reluctantibus detur, mirum non est quod ex aliorum precibus & merito interdum concedatur gratia verò habitualis nulli datur immediate ex merito alterius, pura creatura; unde nec ex eiusdem merito augeri potest ratio Sacramenti, nisi suscipiens Sacramentum per iustitiam dispositum censetur perfectius dispositus.

Aduerte, dictis de æqualitate effectus non repugnare, quod duobus æqualiter dispositis accedentibus ad hoc Sacramentum, vni interdum plura peccata remittantur quam alteri, quia id per accedens se habet ad virtutem baptismi, ex eo videlicet quod vnus plura peccata commiserit quam alius; propter quod licet possit dici baptismum materialiter habere inæqualem effectum priuatiuum, non tamen formaliter. nam baptismus delet omnia peccata, per accedens autem aliquando plura materialiter delet in vno quam in alio.

Posterior conclusio, effectus per accedens se habens ad baptismum non est æqualis in omnibus accedentibus ad hoc Sacramentum cum æquali dispositio-

Conclus. 1.
Æqualiter dispositi æqualem gratiam recipiunt.

Trident. 1.

Coroll.
Habet æqualem effectum in omnibus paruulis &c.

Impugnatur quidam recentior.

Quod baptismus vni plura peccata remittat, quam alteri, id est per accedens.

Conclus. 2.

dispositione. patet experientia, quia non omnes recipientes baptismum cum aequali dispositione consequuntur salutem corporalem, licet aliqui ex Dei misericordia miraculose sanentur per baptismum.

Ex occasione inequalitatis effectus quem baptismus fortiri potest in adultis, propter inequalem dispositionem, oritur

D V B I V M I.

Utrum baptismus requiratur aliquam dispositionem ut suum effectum adultis conferat?

5.
Sensus dubij.

Ad gratiam baptismi praerequiruntur fides. Hebr. 11. Marci ult. Trident.

Ea q. super naturalis.

Sententia Caiet. de praesenti quaest.

Falsò tribuitur Seco 10 à quibusdam.

Sent. Gabr.

QUASTIO intelligitur de effectu gratiae & remissionis peccatorum, nam extra controuersiam est nullam aliam requiri dispositionem ad recipiendum characterem praeter eam quae ad substantiam baptismi est necessaria.

Suppono ad hoc, ut adultus etiam per baptismum iustificetur, requiri fidem ex parte intellectus, cum Apostolus ad Hebræos 11. dicat: *sine fide impossibile est placere Deo*, & Marci ult. dicatur, *qui uerò non crediderit, condemnabitur*. similiter Concil. Trident. sess. 6. cap. 8. doceat fidem esse humanam salutis initium, fundamentum & radicem omnis iustificationis. quae particula, *omnis*, comprehendit etiam eam, quae per baptismum conceditur, quod manifestè patet ex cap. 6. eiusdem sess. ubi agitur de dispositionibus necessarijs ad iustificationem etiam per baptismum acquirendam.

Porro hæc fides seu fidei actus debet procedere ex praesentia Dei gratia, ut aperte definitur can. 3. eiusdem sess. ubi statuitur quod *sine praesentia Spiritus S. inspiratione atque adiutorio homo non possit credere sicut oportet, ut ei iustificationis gratia conferatur*; atque ita non sufficit ad iustificationem per baptismum acquirendam naturalis assensus eorum quae credenda sunt, qualem posse viribus naturae elici censent varij 1. 2. quaest. 109. his suppositis.

Queritur quis motus requiratur ex parte voluntatis ad gratiam & peccatorum remissionem acquirendam per baptismum? Omisssis haereticis qui ad omnem iustificationem censent sufficere fidem, quam vocant speciale, quorum error refutari solet 1. 2. quaest. 113.

Caiet. infra quaest. 83. art. 2. circa solutionem primi §. *ad hoc dicimus*, censet ut quis per baptismum acquirat peccatorum remissionem, sufficere voluntatem baptismum recipiendi, si tamen voluntas non sit actualiter peccato affecta, quae sententia à quibusdam etiam Seco tribuitur; sed, ut alij bene notant, id non vult, sed tantum quod non requiratur dolor de peccatis propter Deum, ut potest colligi ex ijs quae dicit dist. 4. quaest. 5. ubi censet eum esse fictum ad recipiendum effectum baptismi, qui accedit cum peccato mortali vel praesente, vel praeterito, de quo nullo modo atteritur vel contentitur.

Gabr. in 2. dist. 32. quaest. unica conclus. 2. distinguit inter remissionem originalis & remissionem actualium, dicitque ad priorem effectum sufficere voluntatem suscipiendi baptismum; ad posteriorem, verò aliam requiri dispositionem; quam sententiam etiam intelligit quando actuale coniungitur originali, itaque iuxta Gabr. si quis accedat ad baptismum cum peccato originali &

actuali, potest acquirere remissionem originalis remanente macula peccati actualis, potestque liberari ab originali quamuis affectu adhaereat peccato mortali.

Communis Theologorum sententia in omni adulto requirit aliquam dispositionem praeter voluntatem suscipiendi baptismum, etiam ad remissionem originalis acquirendam; quae sententia omnino vera est.

Et quidem Caietanus repugnat D Thom. eodem art. ad 1. asserenti in baptismo non remitti peccata sine actuali immutatione voluntatis, quod fit per poenitentiam, cui non satisfacit Caiet. dicens voluntatem recipiendi baptismum inuolueret huiusmodi poenitentiam, cum accedens ad baptismum eo ipso fateatur se peccasse, & cupiat remedium contra peccatum. non inquam satisfacit, quia voluntas baptismi non potest dici expressa poenitentia, cum aliud habeat obiectum; nō etiam implicita, cum neque sit perfecta, quae in Dei amore super omnia, inuoluitur; neque imperfecta, seu virtualis attritio, quia si esset virtualis attritio, non posset consistere cum complacētia peccati, neque aliquis posset habere voluntatem recipiendi baptismum nolens vitam emendare. Probat, actus voluntatis non potest consistere cum opposito eius quod ex sua ratione & specie inuoluit, si ergo voluntas recipiendi baptismi inuoluit virtualiter poenitentiam & propositum emendationis, non potest consistere cum complacētia peccati & cum actu quo aliquis nolit vitam emendare. 2. potest aliquis suscipere baptismum ex naturali voluntate; motus autem naturalis non sufficit ad obtinendam peccatorum remissionem ut patet ex can. 3. citato, nec est sufficiens dispositio ad iustificationem. Confr. potest aliquis velle baptizari, ut principi placeat, etiam cum inaduertentia vel ignorantia inuincibili quod sit peccatum mortale, (siue materialiter sit mortale, siue non) potestque nullo modo habere affectum adhaerentem peccato mortali; incredibile autem est eo casu hominem iustificandum, ergo voluntas recipiendi baptismum non sufficit ad remissionem peccatorum acquirendam per baptismum, neque censetur virtualis poenitentia.

Gabrielis sententia etiam videtur repugnare sensui Ecclesiae; nam Ecclesia videtur sentire non tolli peccatum originale sine gratiae infusione, quia non aliunde prouenit vis in baptismo ad effectum priuationis seu remissionem culpae, quam ex eo quod gratiam possit conferre, neque Concilia aliunde tribuunt Sacramentis vim circa remissionem peccati, ut patet ex Concil. Florent. decreto de Sacramentis & Trident. sess. 5. & 7.

2. Ecclesia sentit baptismum aperire regnum caeleste, quod non fit sine gratiae infusione, per quam homo fit Dei amicus; & proinde baptismus non tollit originale nisi per gratiae infusionem. Praeterea per peccatum originale homo constituitur Dei inimicus, ab eo auersus & dignus aeterna damnatione; ergo cum tollitur originale, tollitur illa auersio & inimicitia, hæc autem de lege Dei ordinaria non tolluntur nisi quis admittatur ad diuinam amicitiam, quod non aliter fit quam per gratiae infusionem, & proinde homo non liberatur ab originali sine infusione gratiae; & quod vtriusque sequitur, nulli habenti peccatum mortale coniunctum originali remittitur originale nisi simul remittatur mortale, & per consequens in tali non sufficit voluntas baptismum recipiendi ut

6.
Comunis & vera sententia requirit aliquam dispositionem.

Voluntas recipiendi baptismum non inuoluit poenitentiam.

7.
Sententia Gabrielis videtur repugnare sensui Ecclesiae.

Homo ab originali sine infusione gratiae.

per baptismum originale tollatur. denique si non requiratur gratia infusio ad deletionem peccati originalis, non suppetit solidum argumentum ad asserendum paruulis gratiam conferri in baptismo.

Dices patere ex Scripturis, Concilijs, & ex eo quod paruuli non ponant obicem receptioni gratiae.

Resp. verum quidem esse constare paruulis in baptismo gratiam conferri, idque haberi ex Scripturis & alijs medijs, sed dico ita constare quia ex illis constat peccatum originale tolli per veram hominis cum Deo reconciliationem, quam reconciliationem cum Gabriel indicet non esse necessariam ad remissionem peccati originalis, mento dici potest auferre medium asserendi gratiam paruulis conferri in baptismo. Ad id quod dicitur eos recipere gratiam quia non ponunt obicem receptioni, dico inde debere sumi argumentum, homini non disposito ad remissionem peccati actualis, non dimitti originale, quia impediendo gratiae infusionem ponit obicem illius remissioni.

D V B I V M II.

Virum in iusto recipiente baptismum requiratur actualis aliqua dispositio, ad obtinendum augmentum gratiae?

SUPPONO adultum posse iustificari antequam baptismum reipsa suscipiat, quia praeventus Dei gratia potest cum super omnia diligere, atque ita iustificationis gratiam consequi talis autem legitime accedens ad baptismum recipiet aliquam gratiae effectum seu augmentum, cum Sacramento tanquam causae necessariae gratiam conferant legitime dispositis, quam proinde augent si eam in subiecto praenueant.

Quaeritur igitur quamnam dispositio requiratur ad tale augmentum recipiendum? an requiratur aliqua actualis? an vero sufficiat habitualis, ipsa scilicet gratia sanctificans?

Videri possit quod requiratur voluntas aliqua diuinam legem seruandi; cum enim baptismus sit realis ingressus in familiam Christi, & periculum status aliquis sublimior suscipiatur, continentiae autem naturis rerum ad hoc ut aliquis adultus in familiam alterius admittatur, requiratur ut sit paratus leges familiae seruare, consequens est quod ut quis debite accedat ad baptismum ut eius fructum possit percipere, debeat habere voluntatem saltem implicitam Christi leges adimplendi, quae non censetur sufficienter contineri in omni voluntate recipiendi baptismum.

Quamuis id non sit improbabile, probabilius tamen videtur sufficere statum gratiae, per quem in iusto moraliter remanet voluntas seruandi mandata Dei, & acceptandi id quod ad salutem est necessarium, ex quo soluitur ratio in contrarium allata.

Dices ut quis baptismum cum fructu recipiat, debet esse sufficienter instructus de mysterijs fidei ad salutem necessarijs.

Resp. concedendo, & dico quod cum nullus possit etiam per actum proprium iustificari, nisi credat ea quae necessitate medijs necessarijs sunt credenda ut gratiam consequatur, adultus iustus supponatur sufficienter in rebus fidei instructus, ut baptismi effectum consequatur.

Vnde concludo verisimile esse in iusto acce-

dente ad baptismum, praeter statum gratiae sufficere voluntatem baptismi recipiendi. haec vero voluntas debet esse ex motione Spiritus S. quod indicant Scripturae, quae docent nos sine Christo nihil posse facere, Ioan. 15. & Concil. Arauscanum can. 7. requirere illuminationem & inspirationem Spiritus S. ut cogitemus, quae ad salutem pertinent, ex quibus constat nos nihil posse per naturae vires quod ad pietatem spectet. cum ergo ea voluntas pertineat ad salutem & pietatem, debet ex Dei auxilio & motione provenire.

Nec obstat quod gratia non augeatur propter illam voluntatem, sed ratione Sacramenti tanquam causae quae potest suum effectum conferre subiecto non ponenti obicem, qui autem accedit cum voluntate merè naturali non censetur ponere obicem, & gratia habitualis sit optima dispositio ad gratiae augmentum; id, inquam, non obstat, quia voluntas recipiendi Sacramentum est utilis ad salutem, atque adeo si sufficeret naturalis, per naturae vires aliquid possemus ad salutem utile, quamuis non se solo: vnde dico si quis cum voluntate solum naturali accederet ad baptismum, poneret obicem effectui Sacramenti, non quidem peccando, sed non accedendo cum voluntate quoad suam conditionem sufficiente.

D V B I V M III.

Qualis requiratur dispositio in peccatore ut effectum baptismi consequatur?

QVAMVIS adultus praeditus vsu rationis moraliter loquendo non possit diu esse cum solo originali, sed facile sit in grauiora peccata lapsurus, nisi iustificetur; quia tamen postquam rationis usum adeptus est, forte potest aliquanto tempore carere iustitia & peccato mortali, saltem potest considerari perinde, ac si illum statum posset reipsa fortiri. potest etiam 2. considerari non solum infectus peccato originali, sed insuper actualibus mortalibus, petitur qualis in singulis requiratur dispositio. De homine considerato cum solo originali minor est controuersia, vnde

Resp. & dico in adulto infecto solo originali ad effectum baptismi sufficit voluntas diuinam legem seruandi, cum fiducia de remissione peccati consequenda, neque ullus dolor formalis vel virtualis exigitur.

Prima pars patet, qui liberatur etiam a peccato originali, reconciliatur Deo, & admittitur ad eius amicitiam; ad hoc autem requiritur saltem implicita voluntas Dei mandata seruandi. Secunda pars probatur. nulli adulto remittitur peccatum sine aliquo motu spei, quo confidat illud sibi remittendum, sine quo homo nunquam mouebitur ad quaerendum remedium contra peccatum. Tertia vero pars ostenditur, quia in casu conclusionis nullum supponitur peccatum actuale mortale; igitur nulla opus est poenitentia, cum ea sit retractatio peccatorum quae aliquis commisit. nam actus qui dicitur poenitentia, est actus quo moraliter prius factum censetur retractari per detestationem & dolorem illius.

Dices talis peccauit in alio; igitur de tali peccato debet dolere & illud retractare.

Resp. neg. consequentiam, quia inde solum efficitur, quod debeat quaerere medicinam ab alio institutam contra huiusmodi peccatum, siue debeat se preparare per poenitentiam, siue non; non

verò

Hae voluntas debet esse ex motione Spiritus Sancti. Ioan. 15. Arausca.

Accedens cum voluntate solum naturali poneret obicem baptismi.

9. Ocasio dubij.

In infecto solo originali, sufficit voluntas seruandi diuinam legem cum fiducia remissionis peccati.

Maiores difficultates in
infesto mortalibus.
Act. 2.
Trident.

verò sequitur, quòd debeat in se dolere de illo peccato & illud retractare.

Maiores est difficultas de infesto etiam actualibus peccatis mortalibus.

Suppono in tali aliquam tandem requiri poenitentiam, ut patet Act. 2. poenitentiam agite & baptizetur unusquisque vestrum in remissionem peccatorum vestrorum. item ex Trident. sess. 6. cap. 6. inter ceteras dispositiones ad impij iustificationem etiam per baptismum acquirendam recentem poenitentiam, quam ante baptismum agi oportet. & sess. 14. cap. 1. docente nulli unquam, qui per proprium actum Deum offenderit, remissum esse peccatum sine poenitentia, eamque necessariam esse etiam illis qui baptismum ablui petunt. ubi obiter

Notandum quod etiam alibi doceri solet, hanc poenitentiam non semper debere esse formalem, sed sufficere interdum virtualem, quae inuenitur in amore Dei super omnia. nam qui Deum super omnia diligit, virtute detestatur omnem offensam saltem gravem contra illum commissam, & vi illius actus moueretur ad peccatum odio habendum, si illud menti occurreret. hoc supposito

Controuersia est qualis debeat esse poenitentia, de qua tres sunt Doctorum sententiae.

Prima asserit requiri dolorem propter Deum, qui dicitur contritio. tenet Gabr. in 4. dist. 4. quaest. 2. art. 2. post 4. conclusionem.

Secunda requirit ut saltem bona fide dolor putetur esse contritio. Nauarr. in summa capite 1. num. 39.

Tertia censet attritionem etiam cognitam talem sufficere. ita Sotus distinct. 6. quaest. 1. art. 7. conclus. 6. Canus relectione de poenitentia. parte 5. post medium §. deinde etiam attritio. (quamuis in aliquo excedat, ut infra notabimus) & aperte colligitur ex his quae tradit S. Thom. infra quaest. 79. art. 3. ad 2. ubi dicit quod non inconuenienter accedit ad baptismum qui habet conscientiam peccati mortalis. ex quo manifestè constat attritionem cognitam talem sufficere ad hoc ut baptismus suum effectum conferat, tenentque communius Doctores.

Dico 1. ut baptismus suum effectum conferat, non requirit in peccatore perfectam contritionem, quae videlicet sit dolor de peccatis quia summe repugnant diuinæ bonitati, & Deo summe displicent.

Probatur, baptismus per se est institutus ad peccati tum originalis tum actualis deletionem, ut patet ex Concil. Florent. decreto de Sacramentis, & ex Trident. sess. 5. can. 3. & 5. ergo hanc effectum potest aliquando habere, cum videatur absurdum asserere Sacramentum semper necessario supponere effectum, ad quem conferendum est institutum, videaturque hæc inter se repugnare, causam ordinari ad aliquem effectum, & requirere eam dispositionem in subiecto, per quam effectus semper praeueniatur; semper autem praeueniretur effectus remissionis culpæ, si requireretur perfecta contritio de peccatis, cum illa sit vltima dispositio ad gratiam, quam lege infallibili gratia sanctificans comitatur, ut suo loco ostenditur; ergo talis contritio non requiritur.

Confir. baptismus est spiritualis generatio, igitur non necessario praequirat esse spirituale gratie quod secum adfert perfecta contritio. est etiam Sacramentum mortuorum, ergo aliquis spiritua-

liter mortuus potest ad illud accedere, ut etiam docet D. Thom. quaest. praecedenti art. 4. in corpore dicens: uno modo (dicitur peccator) propter maculam & reatum praeteritum, & sic peccatoribus est Sacramentum baptismi conferendum, quia est ad hoc specialiter institutum ut per ipsum peccatorum sorde mundentur.

Dico 2. requiritur & sufficit attritio etiam cognita talis. patet ex dictis; cum enim constet aliquam poenitentiam requiri, non requiri tamen contritionem, aperte deducitur requiri attritionem; quam sufficere etiam si talis cognoscatur ex eo patet, quod baptismus per se sit institutus ad deletionem peccati, & sit Sacramentum mortuorum; ergo aliquis sciens se mortuum dummodo de peccatis saltem atteratur, potest ad illud accedere, neque potest censeri ex eo capite ponere obicem effectui Sacramenti, igitur aliquis cognoscens suam dispositionem non transgredi limites attritionis, est capax effectus Sacramenti baptismi, seu, ergo ad hoc ut baptismus conferat suum effectum accedenti in peccato mortali non requiritur, ut putet se habere contritionem de peccatis. Confir. iuxta D. Thom. superiori conclusionem relatum, baptismus potest licite conferri peccatoribus, idque per se loquendo, ut eius ratio ostendit, ergo licite potest recipi ab eo qui nouit se mortuum spiritualiter; si enim hic non posset baptismum recipere, per se loquendo non posset eadem ministrari absque graui sacrilegio.

2. Si aliquis teneretur existimare se habere contritionem, id oriretur vel ex eo quod alioquin peccaret, vel ex eo quod id esset necessarium ad effectum baptismi consequendum: prius dici nequit, cum nemo sit dicendus peccare eo quod accedat ad Sacramentum mortuorum, sciens se spiritualiter mortuum, cum possit accedere, ut per illud vitam animæ consequatur: secundum etiam dici nequit, quia nullo nititur fundamento quod error compleat in ratione dispositionis id quod alioquin à parte rei non sufficit; quamuis enim error excusare possit à culpa, non potest tamen supplere defectum medijs à parte rei necessarijs, vel illud medium complere.

3. Si attritio non sufficiat cum baptismis ad acquirendam peccatorum remissionem, nostra iustificatio per Sacramenta non est reddita facilius, sed potius difficilius.

4. Baptismus potest conferre remissionem culpæ si voluntas retractet peccatum cum firmo emendationis proposito; quod totum praestari potest per attritionem etiam cognitam talem, ut satis indicat Concil. Trident. sess. 14. cap. 4.

His omnibus accedit quod secunda sententia illam bonam fidem contritionis excogitauerit, quia videtur requiri contritio; durum autem est illam semper à parte rei exigere. quæ ratio cinatio in re tam ardua parui est momenti & debili nititur fundamento. si enim ex principijs theologicis ostendatur requiri contritionem, requireretur verè & à parte rei contritio, nec sufficeret existimata, cum requireretur tanquam medium ad iustificationem per baptismum acquirendam necessarium.

Porò ex dictis dubio superiore constat hanc attritionem debere esse supernaturalem & ex Spiritus S. motione, & definitur in Concil. Trid. sess. 6. can. 3. constat etiam debere esse cum proposito saltem virtuali Dei mandata in posterum seruandi, videri potest Trident. sess. 14. cap. 4. cuius doctrina praesenti materiae potest applicari. Si talis

attritio

10.
Tres sententiae.
Prima requirit contritionem.
Gabr.
Secunda, ut bona fide putetur contritio.
Nauarr.
Tertia sufficere attritionem etiam cognitam, estque communis.
Sotus.
Canus.

Conclus. 1.
Impugnatur prima sententia.

Florent.
Trident.

Repugnat causam ordinari ad aliquem effectum, & requirere dispositionem, per quam effectus semper praeueniatur.

o. Thom.

Conclus. 2.
Praestatur tertia sententia.

Error 2.
Quintus plectit defectum mortis à parte rei necessarii.

Trident.

Trident.

attritio addit, baptismus potest delere omnem culpam & penam, etiam culpam venialem ad quam illa saltem virtualiter se extendit. Adde quod cum iuxta dicenda tractatu de penitentia quest. 87. art. 1. dub. 1. possit dari attritio virtualis, ea sufficiat ad iustificationem per Sacramentum baptismi acquirendam, si sese extendat ad omnia peccata mortalia.

Ex his refutatur sententia quæ à quibusdam tribuitur Cano relectione de penitentia parte 3. §. altera quoque attritio est, scilicet ad effectum baptismi per se requiri veram attritionem; ex accidenti tamen ob inuincibilem ignoranciam sufficere existimatam bona fide. quæ sententia falsa est, quia bona fides non supplet defectum medij necessarii, vt dictum est. id tamen non videtur ea parte docere, sed aliquid simile insinuare parte 5. eiusdem relectionis post medium §. tertio etiam attritio.

Refutari etiam potest sententia quæ asserit timorem ortum ex metu infamiae apud homines, vel amissionis honorum sufficere, vt baptismus suum effectum fortitur.

1. quia talis dolor de peccato est naturalis.
2. quia potest esse malus, cum ex tali motu possit aliquis dolere de re aliquā honesta. nam homines huius seculi facile solent moueri ad negligenda bona opera timore alicuius notæ incurrendæ apud homines, vel ne principi displiceant, &c. propter quæ talis dolor dicitur mundanus, qui non sufficit ad fructum baptismi recipiendum, sed requiritur dolor ex motu aliquo supernaturali, vt quia peccatum excludit à gloria cælesti, quia propter illud homo æternis incendijs adducitur &c.

Ex his, & peculiariter ex locis D. Thom. citatis, etiam satis patet dominem infectum mortali legitime accedere ad baptismum ita vt non peccet, si accedat cum attritione supernaturali à nobis descriptâ, etiam cognitâ tali.

Contra primam conclusionem obijciunt 1. Trident. sess. 6. cap. 6. inter alias dispositiones ad iustificationem etiam per baptismum acquirendam necessarias, reponit dilectionem, quæ Christus, tanquam omnis iustitiæ fons diligitur, hac autem dilectio est amor Dei super omnia, & odium peccati eiusque detestatio est contritio; igitur vt quis per baptismum iustificetur requiritur contritio & quidem à parte rei existens, iuxta primam sententiam.

Aliqui negant maiorem, quamuis enim dilectionem, de qua Concilium, censeant esse actum charitatis & dilectionem super omnia, existimant tamen eam non esse necessariam, quia non omnes actus eo loco descripti necessarij debent præueniri formaliter ante iustificationem: censeant ergo Trident. enumerat actus sufficientes ad iustificationem, qui tamen non omnes sint necessarii, neque semper omnes formaliter inueniuntur in conuersione & iustificatione adulci. quæ sententia placet quidem quatenus censet non omnes actus à Concilio enumeratos esse necessarios, quod docent varij in materia de iustificatione; non tamen placet, quatenus censet dilectionem, de qua agit Concilium necessarij esse dilectionem Dei super omnia & actum charitatis, cum Concilium videatur in genere intelligendum de amore, qui possit esse actus charitatis vel spei, & similiter de odio peccati.

Ad argumentum ergo in forma Resp. negando

minorem vniuersaliter sumptam, quia dilectio & odium, de quo agit Concil. Trident. potest esse vel actus charitatis, vel actus spei, ac debet quidem esse perfectus actus charitatis, vt aliquis extra Sacramentum iustificetur, vt verò consequatur iustificationem in Sacramento, sufficit amor & odium ex virtute spei procedens, & attritio.

Obijciunt 2. ad deletionem peccati mortalis ex rei natura requiri contritionem.

Resp. distinguendo, si enim ita intelligatur requiri contritio vt peccatum sine illa nullo modo remitti possit, negatur. nam ostendi non potest Deum non posse condonare peccatum & gratiam homini infundere nullo intercedente voluntatis actu in homine, & multò minus ostendi potest perfectissimam illam voluntatis dispositionem omnimodâ necessitate requiri. si verò intelligatur contritionem esse aliquo modo necessariam iuxta diuinam dispositionem, verum quidem est; nihilominus potest Deus instituire aliqua faciliora media per quæ homo cum inferiori dispositione eidem reconcilietur, eaque re ipsa instituit saltem in nouo testamento.

Hinc & illud soluitur argumentum, peccatum repugnat Deo summè bono; ergo vt remittatur oportet hominem conuerti ad Deum vt summè bonum, quod non fit sine actu contritionis saltem virtuali.

Respondetur enim negando consequentiam, si consequens intelligatur de conuersione actuali se habente per modum dispositionis, cum Deus possit esse contentus inferiori retractatione peccati vt illud per Sacramentum remittatur; esse autem contentum, patet ex dictis.

Obijciunt 3. D. Thom. quæst. præcedenti art. 6. ad 3. docet in peccatoribus ad baptismum requiri interioris penitentiae virtutem; & quest. 86. art. 2. docet peccata actualia in baptismo non remitti sine actuali immutatione voluntatis, quod fit per penitentiam; quibus locis agens de actu virtutis penitentiae non potest alium intelligere quam contritionem.

Resp. ex dictis satis constare D. Thom. sentire ad remissionem peccati mortalis per baptismum consequendam, non requiri contritionem; neque illud ex locis in argumento citatis sufficienter ostenditur, quia per penitentiam in illis non intelligit determinatè contritionem, sed aliquam voluntatis retractationem, quod sufficit ad solutionem argumentorum, vt consideranti patet.

ARTICVLVS IX.

Vtrum fictio impediatur effectum Sacramenti?

NOTANDVM ex responsione ad 3. aliquem dici fictum qui demonstrat se velle quod non vult; fictio autem quod ad præsentem materiam attinet, potest esse vel circa substantiam Sacramenti, vel circa eius effectum. hic non agitur de ea quæ versatur circa substantiam, quia talis fictio planè obstat validitati Sacramenti, sed intelligitur de fictione quæ est circa effectum Sacramenti, suppositâ eius substantiâ, de qua queritur num impediatur effectum baptismi, scilicet gratiæ infusionem & remissionem peccatorum?

Respondet autem impedire, quia vt baptismus suum effectum conferat in adulto certas requirit

E e dispositio-

Explicatur
Trid.

Obiectio 2.

Resp.

Soluitur
incidenter
aliud argu-
mentum.

Licet p. m.
repugnet
Deo summe
bono, ta-
men potest
esse contes-
tus retra-
ctatione,
quæ fit in-
terior con-
tritione.
Obiectio 3.
D. Thom.

Resp.

Explicatur
mès D. Th.

Quis dici-
tur fictus.

Fictio circa
substantiâ
inualidat
Sacramen-
tum.

Resp. D.
Thom.

13.

Duobus
modis po-
test quis
accedere
ad Sacra-
mentum
indisposi-
tus.

dispositiones, vt patet ex dictis; ergo qui accedit indispositus, non potest effectum Sacramenti recipere, seu iustificari per baptismum.

Notandum verb. 1. quod licet D. Thom. solum videatur agere de fitione, quæ est peccatum, quæ solet dici indispositio seu fictio positua, conclusio tamen vera sit etiam de fitione seu indispositione negatiua. duobus enim modis potest aliquis accedere ad Sacramentum indispositus ad eiusdem effectum recipiendum. 1. per nudam carentiam legitimæ dispositionis necessariæ ad huiusmodi effectum recipiendum; vt si quis accedat sine fide, sine sufficiente dolore ad consequendam remissionem peccatorum, quantumvis in eo culpa vacet, dicitur indispositus accedere ad Sacramentum. 2. per actualement dispositionem repugnantem infusioni gratiæ, vt si quis in receptione Sacramenti peccet mortaliter, aduertens se esse in statu peccati mortalis, & sciens ad peccati remissionem etiam in Sacramento acquirendam exigi aliquem illiusmodi dolorem, & sine huiusmodi dolore accedens, vel accedens inherendo effectui mortaliter malo. Argumentum supra factum ostendit vtramque fitionem impedire effectum baptismi.

Confir. non solum per indispositionem posituam ponitur obex effectui Sacramenti, sed etiam per carentiam legitimæ dispositionis; sicut si causa naturalis requirat in passo certam dispositionem ad producendum effectum, non solum impeditur per contrariam dispositionem subiecto inexistente, sed etiam per carentiam requisitam. immo, formaliter loquendo, contraria dispositio eatenus impedit productionem effectus, quatenus impedit quo minus inueniatur dispositio requisita ad eiusdem effectus introductionem.

Indispositio positua formaliter in ratione indispositionis est vnus species.

Notandum 2. quod licet indispositio positua materialiter ad varias peccatorum species possit pertinere, formaliter tamen in ratione indispositionis sit vnus species, quæ in hoc consistit quod grauis irreuerentia Sacramento irrogetur, ponendo voluntariè obicem receptioni effectus eiusdem Sacramenti, quamvis materialiter id interdum fiat per infidelitatem posituam, vel voluntarium neglectum notitiæ rerum necessariarum ad salutem, interdum per voluntatem adhaerendi certo peccato &c. vnde qui ita accedit ad Sacramentum aliquando committit duo peccata mortalia, vnum sacrilegij, alterum quod petitur ex proprio obiecto peccati quod committit concomitanter in receptione Sacramenti.

Hic queri posset num fictio impediens infusionem gratiæ in baptismo, etiam impediat infusionem fidei, sed alibi ea de re commodior est disputandi locus, 2. 2. quæst. 4. vel 5.

ARTICVLVS X.

Virum fitione recedente baptismus suum effectum consequatur?

Resp. affir.

AFFIRMAT; intelligit autem de effectu gratiæ & remissionis peccatorum.

DVBIUM I.

Virum baptismus, qui propter impedimentum non habuit suum effectum, cum poneretur eius substantia, possit postmodum eundem conferre?

VIDETVR quod nunquam illum consequatur, seu quod homo, qui non est consecutus gratiam iustificantem, dum baptismum recipit, illam ratione baptismi nunquam sit recepturus; quia cum baptismus totam vim suam obtineat ex alterius voluntate, non potest asseri aliquid illi conuenire, nisi cognoscatur conuenire ex principiis quibus constare potest, & solet de voluntate instituentis Sacramenta; ex illis autem principiis non potest nobis vllō modo constare baptismum, qui non habuit effectum gratiæ cum re ipsa poneretur, postmodum illum consequi posse. nam ex Scriptura, Concilijs & sensu Ecclesiæ id nullo modo constare potest.

Dices Doctores communiter ita sentire, quorum sensus aliquo modo dici potest Ecclesiæ.

Resp. hoc dici non posse, quia Ecclesiæ non declarat se ita adherere Doctorum sententiæ, vt illam proponat tanquam certam, sed relinquit ipsi Doctoribus examinandam, & proinde ij qui partem affirmatiuam tuerentur, non possunt ex sensu Ecclesiæ aliquod subsidium habere.

Obicies rationem factam ostendere quidem non ita esse certum baptismum reuiviscere, vt contrarium sit planè improbabile, non tamen ostendere non esse probabilius, cum ad hoc sufficiant rationes seu congruentiæ, quæ suadeant esse conuenientius & probabilius quod Christus ita instituerit baptismum, vt si forte suum effectum habere non posset dum eius substantia poneretur, sublato impedimento illum consequeretur & reuivisceret; huiusmodi autem rationes suppetunt. 1. decet Sacramentum, quod est viuum opus Christi, non ita impediri per indispositionem recipientis quin sublato impedimento vim suam exerat. 2. peccatum originale & actuale mortale commissum ante baptismum conuenienter debet habere causam, à qua per se ex opere operato deleatur, & non tantum indirecè & ex consequenti; si autem non reuiviscat baptismus & non possit conferre effectum, quo fuit priuatus dum poneretur, interdum originale & mortale ante baptismum commissum non habebit causam per se.

Sed dicendum videtur hæc non sufficere, vt vis aliqua Sacramentis tribuatur, nisi ex certiori principio deducatur hanc virtutem ex Christi institutione baptismi conuenire.

Confir. non obstantibus rationibus allatis constat Christum sine vlla indecentia potuisse talem virtutem baptismi non conferre; ergo non est quod propter illas huiusmodi virtutem baptismi tribuamus, præsertim cum ex alia parte baptismi reuiviscencia non videatur posse explicari, quin admittantur aliqua minus cōsentanea ijs quæ communiter in Philosophia sunt recepta, & ijs

que de Sacramentis communiter traduntur: præsertim etiam, cum baptismus commodè dicatur opus Christi, quamvis hæc reuiuifcentia ei non tribuatur, nimirum eo quod hominem spiritualiter mortuum possit uiuificare, si cum debita dispositione recipiatur. item cum nullum sit incommodum quod in aliquo casu ex defectu conditionis requisitæ in recipiente baptismum, peccatum originale &c. non habeat causam per se, à qua directè tollatur ex opere operato. 1. quia id planè per accidens se habet ad institutionem baptismi. 2. quia in re ipsa ex consequenti remitti potest, ita ut nullo modo remaneat.

Secundò videtur ostendi quod baptismus non reuiuifcat; quia ad hoc dicitur aliqua dispositio requiri, hoc autem non dicitur consentaneè principijs philosophicis vel ijs quæ de Sacramentis traduntur. minor probatur pro priori parte, causa quæ propter indispositionem subiecti non potuit operari suum effectum dum esset, non potest eundem operari quando superuenit dispositio destructiua causæ, verbigratia, ignis qui propter nimium humorem non potuit lignum comburere cum eidem esset debite approximatus, non potest illud comburere propter superuenientem siccitatem ligni quando iam ipsemet ignis perijt. Eadem minor pro secunda parte probatur, iuxta Tridentinum & communem sententiam Theologorum, quod dispositio est præstantior ed præstantiorem effectum conferunt Sacramenta, igitur iuxta conditionem & perfectionem dispositionis effectus perfectior deberet produci reuiuifcente Sacramento, quod & per se videtur minus probabile, & à varijs concedi non solet.

Dices hæc esse vera in causis physicis. 2. quando id quod requiritur est dispositio propriè dicta; Sacramenta verò sunt causæ morales, & id quod dicitur requiri, non tam est dispositio propriè dicta, quam conditio quædam tollens impedimentum ex parte subiecti.

Sed responderi potest hinc saltem haberi non posse adstrui reuiuifcentiam in sententia eorum qui censent Sacramenta causare gratiam physicè, nam causa physica solum potest suum effectum producere quando subiectum sufficienter disponitur, quando ipsa causa existit, & sufficienter & physicè applicatur passio. quæ principia negari & euerri non debent ut adstruatur reuiuifcentia Sacramentorum incerta, quamvis enim iuxta hanc sententiam Sacramenta sint instrumenta diuinæ omnipotentia, cum tamen Deus soleat se gerere consentaneè naturis rerum, probabilius est quod ea requiratur ut Sacramenta suum effectum producant, quæ requiruntur in alijs instrumentis, ut producant suos effectus & quidem modo proportionato.

Dici potest 2. non paruum vim habere etiam in sententia eorum, qui existimant Sacramenta solum moraliter causare gratiam, nam etiam in illa operantur instar causarum naturalium & certam in subiecto requirunt dispositionem ut suum effectum conferant, iuxta cuius excellentiam perfectiorem vel minus perfectum effectum possint causare: igitur conformiter suæ conditioni & institutioni requirunt dispositionem in subiecto, quando ipsa ponuntur, nec dici debet quod superueniens dispositio sufficiat ad hoc ut Sacramenta quæ desierunt esse, suum effectum conferant. Adde quod difficultas theologica remaneat, quod

scilicet inde sequatur effectum qui recedente fitione confertur, posse esse inaequalem pro inaequalitate dispositionis.

Ad alterum in obiectione positum dici potest, quod cum conditio quæ dicitur exigi, ut Sacramentum reuiuifcat, requiratur ut præcedens subiecti indispositio tollatur, indispositio autem non tollatur nisi ponatur dispositio, in præsentia quæstione tolli impedimentum non videtur esse aliud reipsa, quam poni dispositionem seu subiectum quod propter suam indispositionem non potuit consequi effectum baptismi, legitime disponi ad eundem consequendum.

Confir. adultus tam debet disponi ad gratiam recipiendam per baptismum postquam Sacramentum transijt, quam ad recipiendam dum confertur ipsum Sacramentum, ergo auferri impedimentum est reipsa disponi ad effectum Sacramenti; cum autem dispositio non possit causam subsequi seu iuuare ut causa, quæ non est, suum effectum producat in subiecto disposito, sequitur Sacramenta non posse reuiuifcere ratione alicuius, quod per modum dispositionis dicatur superuenire. Antecedens probatur, si non requiratur dispositio ad gratiam per Sacramentum recipiendam, quando ipsum Sacramentum præterijt, non potest solidè ostendi eam requiri dum Sacramentum confert effectum, quando ipsum Sacramentum conficitur. unde enim peti potest ista ratio diuersitatis, vel ex quo principio theologico ostendi?

Ex altera tamen parte, quod recedente fitione reuiuifcat baptismus, & effectum gratia, atque remissionis peccatorum conferat:

Probatur autoritate Augusti. qui libr. 1. de baptismo contra Donatistas, cap. 12. de baptismo ait; qui tamen tunc profuit ad remissionem peccatorum, cum quis reconciliatus unitati sacrilegio dissensionis exiit, quo eius peccata tenebantur, & dimitti non sinebantur, sicut enim in illo qui scilicet accesserat, sic ut non denno baptizetur, sed ipsa pia correctione & vera confessione purgetur, quod non posset sine baptismo, sed ut quod ante datum est, tunc valere incipiat ad salutem, cum illa fictio veraci confessione recesserit. & paulò post agens de baptizato in hæresi vel schismate ait; cum se corripuerit, & ad Ecclesiæ societatem unitatemque venerit, non iterum baptizandus est, quia ipsa reconciliatione, ac pacis præstatur ut ad remissionem peccatorum eius in unitate iam prodesse incipit Sacramentum, quod acceptum in schismate prodesse non poterat.

Et libr. 3. cap. 13. si autem quannus apud hæreticos vel schismaticos idem sit baptismus Christi, non tamen ibi operatur remissionem peccatorum propter eandem discordiæ sententiam & dissensionis iniquitatem, tunc incipit valere idem baptismus ad dimittenda peccata, cum ad Ecclesiæ pacem venerint, non ut iam dimissa non reuineantur, neque ut ille baptismus quasi alienus aut alius improbetur aut alter tradatur, sed ut idem ipse qui propter discordiam foris operabatur mortem, propter pacem intus operetur salutem. & libr. 6. cap. 25. ipse sanctificat Sacramentum suum, ut hominibus, siue antequam baptizetur, siue cum baptizatur, siue postea quandoque ad se veraciter conuerso id ipsum valeat ad salutem, quod ad perniciem, nisi conuerteretur, valeret.

Eidem sententiæ videtur fauere Gregorius, sanctum baptismum, quod sunt apud hæreticos consecrati, tunc in eis vires emendationis recipi, cum vel illi per impositionem manus Spiritum Sanctum acceperint, vel isti propter professionem veræ fidei sanctæ & uni-

E e 2

uerfalis

Suadetur
deinceps
affirmatua.
August.

Greg.

Cap. ab an-
tiqua.

16.

In quo in-
ter Aug. &
Donatistas
fuerit qua-
estio de ba-
ptismo.

Expendun-
tur loca
Aug. supra
allata.

Non viden-
tur incipi-
re reuiviscen-
tia baptis-
mi ex Aug.
locis.

Nec ex
Greg.

versalis Ecclesie visceribus fuerint uniti. refertur can.
ab antiqua, de consecratione dist. 4.

Alicui tamen ea testimonia videri possunt
non vrgere si spectetur scopus August. & here-
sis contra quam ijs locis disputat; pro quo

Notandum nullam questionem fuisse inter
August. & Donatistas de reuiviscencia baptismi
quoad collationem gratiae, sed de eius validitate,
Donatistas asserentibus baptismum in haeresi vel
schismate acceptum vel etiam ab haereticis, esse
nullum, & esse repetendum cum aliquis ad Eccle-
siam venerit, August. vero docente esse validum,
licet pro eo statu nihil prosit; unde docet non esse
repetendum quando quis ad Ecclesiam unitatem
redit, quia tunc valere incipit ad peccatorum remissionem,
non quod ipsa peccatorum remissio
formaliter debeat tribui baptismi, ita ut baptis-
mus eo casu peccata remittat, sed quod redeunti
ad Ecclesiam sit causa propter quam cetera Sa-
cramenta prodesse possint, cum sine baptismi
nulla Sacramenta possint valide suscipi, cum ergo
per receptionem baptismi etiam in haeresi satis-
fiat precepto de illo recipiendo, & ratione baptis-
mi suscepti rediens ad Ecclesiam possit alia Sacra-
menta utiliter recipere, merito August. dicere po-
tuit baptismum in haeresi vel schismate susce-
ptum non repetendum, & redeunti ad Eccle-
siam prodesse ad remissionem peccatorum, & ope-
rari salutem.

Confir. August. censet baptismum incipere va-
lere redeunti ad unitatem Ecclesiae, iuxta autem
communem sententiam Theologorum ad hoc,
ut peccata remittantur & conferatur effectus gra-
tiae baptizato in haeresi vel schismate, non suffi-
cit relinquere haesim vel schisma; ergo August.
non potest intelligi baptismum ita valere, ut re-
deunti ad unitatem Ecclesiae eo ipso conferatur ei
gratiae effectus, sed hoc sensu quod in eo statu
constituatur, in quo utiliter reliqua Ecclesiae Sa-
cramenta possit recipere. Non videntur aliud vr-
gere duo priora loca.

Et iuxta haec potest etiam explicari Gregorius,
qui sententiam citatam adfert ut doceat baptis-
mum in haeresi receptum non esse repetendum.
ubi obiter notandum illum non esse Gregorium
primum, cum mentionem faciat Monotheli-
tarum, qui posteriores fuerunt Gregorio pri-
mo.

Idem quoque sensus esse potest testimonij ci-
tati ex lib. 6. quia eo loco solum vult August.
ostendere baptismum verbis evangelicis conse-
cratum esse validum, licet preces erroneae adiun-
gantur, & illud Sacramentum à Christo sanctifi-
cari, ut valeat ad salutem homini siue ante conver-
so, siue etiam postea, non quod in eo, qui baptis-
mum illicitè recipit & postmodum convertitur,
formaliter operetur remissionem peccatorum,
sed quod non remaneat obligatio baptismi de-
nuo suscipiendi, & de cetero sit causa ob quam
alia Sacramenta valide & licite atque adeo utili-
ter ad salutem recipi possint. valet ergo ad salu-
tem, tum quod præceptum baptismi recipiendi sit
impletum, tum quod utilitas quæ ex alijs Sacra-
mentis potest percipi tribuatur baptismi tan-
quam radici, quæ possunt confirmari à simili.
idem August. lib. 1. de nuptijs & concupiscentia
cap. 33. docet lauacro regenerationis & verbo
sanctificationis omnia prorsus mala hominum
regeneratorum mundari atque sanari, non solum

peccata quæ omnia nunc remittuntur in bap-
tismo, sed etiam quæ posterius contrahuntur, quod
non est verum formaliter loquendo, sed tantum
causaliter modo explicato.

Totus hic discursus ostendit probabile esse
quod baptismus non reuiviscat ad effectum gra-
tiae sanctificantis & remissionis culpæ; quod do-
cent Scotus distinct. 4. quæst. 5. §. respondet. Gabr.
eadem dist. quæst. 1. art. 3. dub. 3. sub finem. Val-
quez disp. 159. cap. 4. Gab. tamen concedit reui-
uiscenciam baptismi quoad remissionem pena-
rum, ita, ut culpa per aliud medium sublata, tota
pena temporalis, quæ alioquin posset restare, vir-
tute baptismi condonetur.

Alij tam antiqui, quam recentiores sentiunt
cum D. Thom. hic, baptismum, qui suum effe-
ctum gratiae sanctificantis & remissionis pecca-
torum non contulit, cum reciperetur, illum con-
ferre sublato obice, à qua sententia non videtur fa-
cile recedendum, quia in his quæ ex alterius in-
stitutione dependent, magnum vim habet com-
munis sensus Doctorum, licet fortè tam exacta
ratio reddi non possit, itaque

Resp. & dico probabilis videtur, quod baptis-
mus sublato obice ita reuiviscat, ut ratione il-
lius conferatur ex opere operato gratia sanctifi-
cans, & remissio peccati originalis, & actualium
ante baptismum commissorum.

Probat ex locis August. citatis, quæ vi-
dentur amplius vrgere quam id quod in discursu
facto asseritur, quamvis enim controuersia
cum Donatistas fuerit August. de validitate ba-
ptismi in haeresi vel schismate recepti, nihilomi-
nus tamen ex occasione videtur omnino docere,
quod baptismus sine fructu in haeresi vel schis-
mate receptus suum effectum habeat, cum per
veram correctionem baptizatus redit ad Eccle-
siam, nam Donatista, ut patet ex lib. 1. citato cap.
11. ita ratiocinabantur, baptismum à nobis colla-
tum non curatis repeti, igitur is fuit validus; ubi
autem validus est baptismus, ibi est remissio pec-
catorum, seu per baptismum validum semper
dimittuntur peccata, scilicet formaliter &
per se.

Respondet autem August. cap. 12. baptismum
posse esse validum, quamvis in eo non fiat remis-
sio peccatorum quando conferitur, qui tamè pro-
fit ad eorumdem peccatorum remissionem, cum
quis reconciliatus unitati &c. profit, inquam,
operando ipsam remissionem. nam alioquin ne-
que directè neque aptè responderet ratiocinatio-
ni Donatistarum.

Confir. August. eodem modo ratiocinatur de
baptismo accepto in haeresi, & de recepto à ficto,
qui scilicet in Ecclesia Catholica suscepit ba-
ptismum minus legitime dispositus ad conse-
quendum gratiae effectum; quando autem de eo
qui fictus accessit dicit baptismum incipere vale-
re ad salutem recedente fictione per veracem
confessionem, non solum vult incipere valere
quod impletum sit præceptum de baptismi reci-
piendo, & quod homo fictus sit capax ad reliqua
Sacramenta utiliter recipienda, quia per bap-
tismum in Ecclesia receptum etiam ficti, utrumque
obtinetur.

Nec obstat quod in confirmatione explicatio-
nis locorum August. dicitur, quod baptismus non
conferat effectum gratiae omni redeunti ad unita-
tem Ecclesiae; quia dictum Augustini non ita pre-
cisè & in rigore accipi debet, sed intelligendum si
haereticus

hereticus vel schismaticus redeat ad Ecclesiam unitatem ex vera & sincera correctione, seu detestatione peccati.

Ex his patet per explicationem in discursu positam minus perfecte satisfieri testimonijs August. citatis: patet etiam commune Doctorem sententiam solido niti fundamento, scilicet auctoritate August. ex quo satisfactum videtur prior rationi dubitandi.

Ad secundam respondent aliqui, id, quod requiritur, ut Sacramentum reuiuiscat, non se habere per modum dispositionis proprie dictae, sed tantum per modum cuiusdam conditionis sine qua non concederetur effectus baptismi; sed haec non videntur euacuare difficultatem, & solum dicuntur quia argumentum ostendit non posse inueniri dispositionem, quae tempore causam subsequitur, cum non possit adferri solida ratio cur aliquando requiratur dispositio, aliquando vero non.

Resp. ergo causas physicas requirere ut dispositio necessaria ad productionem effectus sit quando ipsa causa existit, non tamen morales; cuius ratio est quod causa physica agat per realem & physicum influxum, quem nullo modo potest prebere, si ipsa entitativè non existat, ut communiter Philosophi, causa vero moralis, cum suum effectum causet mediante alterius voluntate, quam mouet ad illum physicè ponendum, bene potest suo modo esse causa, quamvis dispositio ponatur postquam ipsa physicè desijt existere, quia nihilominus causa physica talis effectus moueri potest ad producendum effectum intuitu huiusmodi causae moralis. unde dico Sacramenta requirere dispositionem, ut reuiuiscant & conferant effectum gratiae, & hanc dispositionem posse subsequi ipsum Sacramentum, quod moraliter potest operari, quando esse desijt, cum remaneat in diuina acceptatione ad hoc, ut quodcumque homo legitime disponetur, diuina virtus operatiua gratiae applicetur ad eius gratiae productionem, intuitu scilicet baptismi aliquando suscepti. ex quo patet ad replicam contra objectionem. quamvis enim baptismus comparetur causae physicae quod necessario conferat suum effectum subiecto disposito, & non conferat indispotito, non tamen assimilatur in hoc quod non possit illum conferre, nisi dispositio actu existat, dum ipsummet Sacramentum realem habet existentiam.

Ad probationem secundae partis minoris respondent aliqui quod quando Sacramentum conferat gratiam per reuiuiscantiam, conferat minimam quae ratione Sacramenti dari solet, quia datur gratia quae dari solet subiecto nullam habenti dispositionem. ita Suarez disputat. 28. sect. 4. §. atque in hunc modum. Verius tamen videtur etiam eo casu conferri gratiam ratione baptismi maiorem vel minorem iuxta excellentiam dispositionis. quod Vasquez disputat. citata capite 1. censeat necessario dicendum iuxta communem modum explicandi reuiuiscantiam baptismi, & probabile censeat Suarez sect. citata §. nihilominus, suadetque ratio in illa probatione alata.

Obijci tamen potest quod baptismus in casu quaest. non possit peccatum remittere nisi interueniente contritione vel poenitentia Sacramentum; utrumvis autem dicatur interuenire, non po-

test dici baptismum operari remissionem peccati, ergo.

Resp. supposita maiore neg. minorem quia Sacramentum baptismi omnino simul concurrat ad peccati deletionem, cum poenitentia & contritione; & quidem cum Sacramento poenitentiae ita concurrat, ut peccatum originale & actuale praecedens baptismum directe & per se tollatur per baptismum, cetera vero baptismum subsequenta per poenitentiae Sacramentum, licet enim peccata etiam praecedentia baptismum per accidens tollantur per poenitentiam, quatenus unum mortale non remittitur sine alio vel sine originali, & quatenus non infunditur gratia sanctificans, nisi remittantur omnia peccata mortalia, nihilominus bene dici potest quod illorum remissio referatur in baptismum tanquam in causam per se, quia satis constat Sacramentum poenitentiae non posse directe remittere peccata ante baptismum commissa. quamvis autem contritio possit delere omnia tam ante, quam post baptismum commissa, si tamen nobis innotescat baptismum reuiuiscere ad deletionem culpae, possumus absque ullo absurdo asserere baptismum cum eadem concurrere ad deletionem peccati quod praecessit, cum non sit priuandus sua virtute eo quod alia causa moralis inueniatur concurrere ad eiusdem peccati deletionem.

Contra facit quod obex prius tolli debeat quam baptismus possit operari, igitur peccatum debet prius tolli per poenitentiam vel contritionem. Confr. obex interdum est peccatum mortale subsequens baptismum, igitur illud prius debet tolli quam baptismus possit habere suum effectum, & proinde baptismus non potest concurrere ad peccati deletionem.

Resp. concedendo antecedens, si obex sumatur pro indispositione impediens virtutem baptismi. nam subiectum debet aliquo modo disponi ut baptismus suum effectum sortiatur: nego tamen consequentiam, ex argumento enim tantum sequitur quod poenitentia vel contritio quibus homo ad peccati deletionem disponitur, sint priores naturae effectui baptismi, non vero sequitur quod prius suum effectum habeant; si vero obex seu impedimentum sit peccatum mortale, nego antecedens & consequentiam confirmationis. nam peccatum mortale impediens effectum baptismi non prius debet tolli, cum tale impedimentum tollatur per cooperationem causarum, scilicet poenitentiae ad tollendum hoc impedimentum, & mortalia post baptismum commissa, & baptismi ad ea remittenda quae ipsum baptismum praecedunt.

Praeterea. 1. an baptismus reuiuiscat quoad infusionem gratiae antea accessum Sacramenti poenitentiae? Negat Estius dist. 4. §. 12. sed dicendum posse etiam reuiuiscere quando elicitur contritio perfecta, & in casu infra ponendo.

Praeterea 2. an quando baptismus reuiuiscit per Sacramentum poenitentiae maior gratia conferatur quam conferretur per solum poenitentiae Sacramentum? Sotus dist. 6. quaest. 1. art. 8. in fine inclinatur in partem negantem.

Sed omnino verius est maiorem conferri, quia inueniuntur duo Sacramenta, quorum singula suam gratiam conferre possunt, quae non debent impediri quod minus illam actu conferant eo quod concurrant cum alia causa, cum neque ex parte subiecti sit repugnantia, neque ex parte causarum.

Baptismus non est priuandus sua vi, licet alia causa moralis concurrat ad eiusdem peccati deletionem.

Licet poenitentia & contritio sint priores naturae effectui baptismi, non tamen prius effectum habent.

10.

Quaestio 1.

Estius.

Quaestio 2.

Sotus.

Dices licet causa naturales seorsum sumptae diuersos effectus possint producere, non tamen producant perfectiorem quam singula possint producere, si respectu eiusdem subiecti concurrant. v.g. licet duo luminosa vt quatuor possint singula lumen vt quatuor producere, si tamen simul concurrant circa idem passum, non producant lumen perfectius, vt habet communior Philosophorum sententia, ergo.

Resp. neg. consequentiam. cum enim Sacramenta sint cause morales quarum singula tantam vel tantam gratiam ex diuina ordinatione conferant, si multiplicentur, multiplicandus seu augendus est iuxta diuinam ordinationem earum effectus, neque in hoc causis naturalibus comparari debent. Confr. si Sacramenta tam rigide cum causis naturalibus essent comparanda, iusto vt quatuor accedenti ad Sacramentum, quod iuxta dispositionem recipientis solum esset collatum gratia vt duo, nihil gratiae accederet per illud Sacramentum; nam causa naturalis calefactiua vt duo, iuxta communior Philosophorum sententiam non agit in calidum vt quatuor. improbabile autem videtur quod iustus in dicto casu nihil gratiae de nouo reciperet virtute Sacramenti.

Quaest. 3.

Suatis sententia non probatur de partialitate causandi.

Petēs 3. an Sacramenta eo casu concurrant ad gratiam, vt causa partiales partialitate causae? Alii qui videntur sentire quod tota gratia conferatur à singulis Sacramentis se habentibus ad illam tantam causis partialibus. ita Suarez disp. citata sect. 5. in fine.

Sed videtur verius quod singula Sacramenta conferant certum gradum gratiae distinctum à gradu qui ratione alterius Sacramenti confertur, vt si is, qui fide accessit ad baptismum, debite disponatur ad Sacramentum poenitentiae recipiendum, quod Sacramentum spectata dispositione possit conferre gratiam vt quatuor, similiter & baptismus, verius videtur baptismum non concurrere ad totam gratiam, seu ad gratiam vt octo, neque similiter poenitentiam, sed singula conferre suos gradus gratiae quam seorsum conferre possint, quia hic modus nihil dicit repugnantiae, estque consentaneus diuinitati gratiae.

Confr. si concurrerent instar causarum partialium & in eo deberent comparari causis physicis, simul sumpta non possent perfectiorem gratiam conferre, quam seorsim cum causa naturales v.g. duo calores vt quatuor concurrentes non producant calorem intensiorem quam vt quatuor, vt habet receptior Philosophorum sententia, quae censet multitudinem agentium non conducere ad producendum perfectiorem effectum, quam possit praestantissima causa inter illas sepositis impedimentis; nullo autem modo videtur dicendum quod ratione dilectionis Dei super omnia concurrentis cum Sacramento Eucharistiae, quorum singulis posset respondere gratia vt octo, non detur maior gratia quam vt octo, & proinde in praesenti non est necesse Sacramenta comparare cum causis physicis quoad concursum ad totam gratiae entitatem.

Quod hic dictum est de baptismo & poenitentia concurrentibus, dicendum de baptismo concurrente cum contritione.

Dices remissio peccatorum potest à singulis Sacramentis procedere, ergo & tota gratiae intensio.

Resp. neg. consequentiam, ratio est quod re-

missio mortalium nequeat in re separari, unde causa delectiua vitii mortalis debet saltem ex consequenti se extendere ad aliorum deletionem, gradus vero gratiae sunt diuisibiles, quorum singula ita possunt referri in proprias causas, vt non sit necesse referre in alias etiam ex consequenti, & de cetero conuenientius videtur non referri, vt ratio facta suadet.

Dices videri in hoc casu necesse, cum tota gratia quae confertur sit prima gratia, quae proinde tota debet à singulis Sacramentis conferri, cum singula Sacramenta conferant primam gratiam.

Resp. negando assumptum, & posteriore partem probationis. quamuis enim gratia quae confertur in reuiviscencia Sacramenti eo sensu dicatur prima, quod nihil eius praenueniatur in subiecto, non tamen dicitur prima eo sensu quod in illa nulla sit graduum latitudo, & proinde licet singula Sacramenta conferant primam gratiam priori modo sumptam, non tamen est necesse singula concurrere ad totam latitudinem graduum gratiae, sed singula conferunt suos gradus simul tempore cum alio Sacramento, immo & simul naturā. nam Sacramentum, ratione cuius datur primus gradus gratiae, non operatur prius naturā, quam aliud, cum alij gradus non ita intrinsece hunc praerequirant vt absque eo poni non possint.

DVBIVM II.

Quenam dispositio requiratur vt baptismus per reuiviscenciam suam effectum possit conferre?

NOTANDVM 1. eū qui accedit indispositus ad baptismum posse concipi infectum solo originali, vel insuper actuali mortali; item posse concipi mortaliter peccasse in susceptione baptismi, vel saltem post susceptionem.

Notandum 2. indispositionem aliam esse meram negatiuam, quae consistit in carentia etiam inculpata legitime dispositionis ad effectum baptismi consequendum, aliam esse positiuam quae consistit in peccato quo, aliquis, censetur indigne accedere ad Sacramentum, quia culpabiliter negligit adferre dispositionem necessariam ad consequendum Sacramenti effectum. his praemissis Respondeo &

Dico 1. si quis accedens ad baptismum culpabiliter negligat se disponere ad effectum eiusdem consequendum, vt baptismus reuiviscat communiter requiritur contritio perfecta saltem virtutalis, vel Sacramentum poenitentiae cum legitima dispositione, quae communiori Doctorum sententia est attritio supernaturalis.

Probatur baptismus non potest sortiri suum effectum nisi peccatum negligentiae remittatur, illud autem communiter non potest remitti sine contritione saltem virtuali vel sine reali susceptione Sacramenti poenitentiae. quod probatur, non potest remitti per baptismum, cum illud peccatum sit posterius naturā substantia baptismi, consistit enim in eo quod recipiens substantiam baptismi, negligat effectum recipere, quae negligentia censetur compleri & suam rationem sortiri completā Sacramenti substantia, ergo posterior est saltem naturā ipso Sacramento, & proinde

Ex eodem non sententia multitudinis agentium non conducit ad perfectiorem effectum.

Obiectio soluitur.

& proinde per illud non tollitur. & in hoc conveniunt Doctores.

Dixi communiter, quia si quis cum attritione bona fide existimata contritione accederet ad Eucharistiam, vel saltem inuincibiliter ignorans requirit contritionem, iustificaretur per susceptionem Eucharistiae, ut in materia de Sacramentis in genere diximus, verum ille modus forte non est ita frequens, & dici potest quod baptismus in casu conclusionis non reuiviscat sine actuali receptione Sacramenti, cum debita dispositione ad gratiam per illud acquirendam, vel sine contritione saltem virtuali extra casum martyrij.

Dico 2. idem est iudicium de eo qui post baptismum receptum mortaliter peccavit, quia baptismus non potest habere suum effectum nisi tollatur peccatum hoc mortale, quod non potest praestare baptismus per se, cum vis illius non se extendat ad peccata subsequencia.

Dico 3. si quis actualia peccata ante baptismum commiserit, qui nec peccavit mortaliter in ipsa baptismi susceptione, nec postmodum, ad hoc ut baptismus suum effectum in illo fortietur, requiritur & sufficit attritio supernaturalis. Conclusio quoad priorem partem est certa, cum ex dictis constet nullum peccatum mortale remitti etiam in Sacramento sine aliqua poenitentia. quoad posteriorem vero partem non est ita certa; nam aliqui sentiunt etiam eo casu requiri contritionem vel actuale susceptionem Sacramenti, sed varij nobiscum sentiunt.

Probat ergo conclusio. id quod requiritur potest censeri requiri per modum sublationis impedimenti, vel per modum dispositionis, utrumvis dicatur, sufficit attritio, ergo. Minor probatur, attritio sufficit iuxta communioem sententiam ut baptismus suum effectum conferat quando ipse ponitur, ergo & in nostro casu. non enim videtur perfectior dispositio requiri ut reuiviscat & suum effectum postmodum conferat, quam sit ea quae requiritur ut operetur dum ponitur. Similiter sufficiens tollitur impedimentum per attritionem, cum illud impedimentum consisteret in defectu attritionis.

Dices 1. S. August. lib. 1. contra Donatistas cap. 1. requirit veracem confessionem per quam recedatur a fictione.

Resp. neg. assumptum, & dico August. ponere quidem unum modum quo possit tolli fictio, eumque satis communem in eo, qui peccavit post baptismum, vel in eius receptione, non vero assignare illum tanquam unicum & omnino necessarium, neque potuisse in nostro casu assignare, cum peccata ante baptismum commissa non sint materia confessionis, nec possint clauibus Ecclesiae subijci.

Dices 2. S. Thomas hic in corpore requirit poenitentiam ut baptismus suum effectum conferat, ergo in casu tertiae conclusionis requiritur saltem contritio ad hoc ut baptismus reuiviscat.

Resp. neg. consequentiam. 1. quia si quis discedat a D. Th. perpendat tam in corpore, quam in solutionibus argumentorum, facile aduertet eum agere de fictione quae fuit peccatum. 2. quia si quis eius doctrinam nostro casui velit adaptare, dico nomen poenitentiae etiam apud S. Th. non semper denotare perfectam, videlicet contritionem, sed posse etiam conuenire imperfectae, quae inuenitur in casu tertiae conclusionis.

Ex hac conclusione inferitur quod si quis habes

tria peccata mortalia distincta specie, accedat ad baptismum cum dolore de duobus propter rationes specificas, carens legitimo dolore de tertio, qui proinde non consequatur effectum baptismi, sufficienter erit disponendus ad eiusdem effectum per attritionem de illo tertio, quia supponitur baptismi effectus impeditus propter solum defectum attritionis de illo tertio peccato.

Dico 4. si baptismus fuerit impeditus in eo qui solum originale habuit, nec vllum peccatum actuale mortale postmodum commisit, ut reuiviscat sufficit voluntas seruandi diuina mandata, quia ut dictum est supra, in eo casu talis voluntas sufficiebat ad acquirendam remissionem peccati originalis & gratiam habitualem.

Ex dictis 3. & 4. conclusione videtur sequi quod si baptismus possit interdum conferre habitum fidei sine gratia, ad hoc ut fides infundatur, vel augeatur per reuiviscantiam baptismi, sufficiat fides actualis, quia haec ex supposito sufficit ut detur fides per baptismum etiam in eo qui non est dispositus ad gratiae receptionem.

Aliquoties feci mentionem peccati mortalis, cum enim veniale non obstat collationi gratiae per baptismum, & mortale remitti possit non remisso veniali, sequitur quod ad reuiviscantiam baptismi non sit opus retractatione peccati venialis, quod simul cum mortali inuenitur in recipiente baptismum.

Difficultas est de peccato quod concomitanter se habet ad baptismum, quid inquam requiratur ut baptismus eo casu reuiviscat: ut si quis dum baptizatur velit furari, & ita quidem ut eodem temporis instanti compleatur Sacramentum & huiusmodi voluntas vltimo suum esse habeat: quod ut magis ostendatur, ponamus hominem ita peccare interius peccato furti, ut per ordinem ad Sacramentum baptismi nullo modo peccet peccato sacrilegij, eo quod inuincibiliter ignoret requiri aliquam dispositionem ut aliquis baptismum licite recipiat. Aliqui in hac difficultate sentiunt idem dicendum quod in casu quo quis accedit cum peccato, cuius inculpate non habet sufficientem poenitentiam, scilicet hoc peccatum tolli per baptismum dum reuiviscit: quibus videtur parere D. Th. responsione ad 2. dicens: *baptismus auferit culpam & reatum omnium peccatorum praecedentium baptismum, & simul existentium cum baptismo.*

Confir. hoc peccatum non debet subijci clauibus Ecclesiae in Sacramento poenitentiae, cum materia illius Sacramenti sint peccata post baptismum commissa, ut satis patet ex Trid. sess. 14. cap. 1. & 2. Quae sententia non est improbabilis, quam tenet Caet. hic §. in responsione ad 2. Sotus dist. 6. quest. 1. art. 8. §. ex quo fit. Valquez disp. 160. cap. 2. num. 18.

Ex qua sequitur 1. si quis ita poscasset dum baptizatur ut nullo modo peccatum continuasset post receptum baptismum, neque peccasset peccato sacrilegij in susceptione baptismi, solum futuram necessariam attritionem ad reuiviscantiam baptismi.

Sequitur 2. illud peccatum non subijciendum clauibus Ecclesiae, etiam quando est occasio sacrilegij susceptionis Sacramenti; nam licet ipsa indigna susceptio sit recensenda in confessione, non ideo est recensendum hoc peccatum concomitans, cum illa censetur consummari posterius natura quam sit Sacramentum; peccatum vero concomitans non item.

Conclus. 4. In eo, qui tantum originale habuit, sufficit ad reuiviscantiam voluntas seruandi praeccepta.

Corollaria.

23.

Difficultas de peccato concomitante se habere ad baptismum.

D. Thom.

Trident. Caet. Sot. Valq.

Sentiunt illud tolli per baptismum dum reuiviscit.

Præfertur
sententia
quæ eo ca-
su ad reui-
uisceniam
requirit
contritione
&c.

Alij tamen probabilius censent, vt eo casu baptismus reuiuiscat, requiri contritionem vel satisfactionem penitentiam, quia baptismus non videtur tollere peccatum quod eius effectui directè aduersatur, cum nulla causa tollat id quo impeditur à suo effectui producendo, & hoc peccatum non conferatur cum Sacramento tanquam aliquid prius naturâ substantiâ Sacramenti.

Hæc sententia videtur probabilior; nec aduersatur D. Th. quia peccata simul existentia cum baptismo, non necessariò intelliguntur ea, quæ tunc actu committuntur, sed quæ antea commissa non sufficienter retractantur, quæ postmodum per baptismum tolli possunt modo explicato in tertia conclusione. Ad confirmationem resp. videri verius, peccatum explicandû in confessione, ad Trid. dico Concilium tradere doctrinam de eo quod moraliter euenit, & per peccata post baptismum commissa, solum velle negare peccata baptismum præcedentia in confessione esse recensenda, nihil verò in alterutram partem docere de præsentia casu moraliter vix contingente, præsertim cum agens aduersus hereticos solum velit adstruere esse verum in Ecclesia penitentia Sacramentum, ad quod est impertinens verum peccatum concomitans baptismum sit in confessione recensendum nec ne.

Confir. quia Concil. hunc casum nunquam vel leniter insinuat, sed semper videtur supponere omne peccatum actuale vel præcedere vel subsequi baptismum, vt patet ex sess. 14. primis capitibus, quod moraliter semper verum est.

D V B I V M III.

*An etiam alia Sacramenta reuiuiscant
& conferant effectum gratiæ recedente scilicet?*

24.

Quinque
sententiæ.
Prima tri-
buit soli ba-
ptismo.
Sotus.
Vasq.

PRIMA sententia tenet id esse proprium Sacramento baptismi; ita Sotus dist. 6. quæst. 1. art. 8. §. *nihilominus*, citans pro ea D. Th. hic, quatenus soli baptismi eam virtutem tribuit, idem censet Vasquez disp. 161. cap. 2. supposito quod baptismus reuiuiscat quoad effectum gratiæ, & remissionis peccatorum, & alij quorum sententiam censet non esse improbabilem Alanus lib. de Sacramentis in genere cap. 47.

Secunda om-
nibus cha-
racterem
imprimen-
tibus.

Secunda id tribuit omnibus Sacramentis characterem imprimentibus; quia, cum non possint repeti, eorum gratia nunquam posset obtineri, quod videtur incommodum.

Alan.
Maior.
Cohar.

Confir. per illa homo peculiariter consecratur ad quedam munia, pro quibus gratia est vel necessaria, vel valde utilis; igitur conuenit vt ponenti obicem conferatur gratia, quando illo sublato homo legitimè disponitur ad eiusdem gratiæ receptionem, tenet Alanus supra, Maior in 4. dist. 4. q. 2. §. *circa sextam*. Couar. in cap. *Alma mater* 1. parte §. 4. num. 13. videtur quæ favere D. Th. hic, qui hanc virtutem videtur baptismi tribuere ratione characteris.

Tertia ba-
ptismo iun-
git peni-
tentiam.
Caius.

Tertia baptismi coniungit penitentiam. Causa relectione de penitentia parte 5. post medium §. *sed enim opinio D. Th.*

Quarta om-
nibus tri-
buit reue-
rentiâ Eucha-
ristiæ.
Suar.

Quarta tribuit omnibus Sacramentis saltem excepta Eucharistia, de qua magis est dubius Suarez disp. 28. sect. 6. De Sacramentis imprimetibus characterem probatur ratione secundæ opinionis.

De penitentia probatur, quia peccata post baptismum commissa non possunt remitti sine ordine ad illam; igitur necesse est eam reuiuiscere vt peccatum explicatum in confessione valida saltem informi directè possit remitti. Matrimonium videtur reuiuiscere, quia per illud homo capessit statum valde onerosum, propter quem gratia statui est annexa ad præstandam fidem comparti &c. Extrema vnctio non potest etiam faciliè repeti.

Quinta eam vim tribuit omnibus Sacramentis. Caiet. tomo 1. opusculorum tract. 5. §. *communis* autem; Henriquez lib. 1. de Sacramentis in genere cap. 25. num. 1. qui littera R. plures citat, & numero 7. peculiariter dicit varios sentire de Eucharistia quando sacerdos indignè celebrat. Ratio esse potest quod omne Sacramentum sit opus Christi viuum, quod proinde sublato obice vim suam exercere potest.

Quamuis sit difficile in re tam incerta de his sententijs iudicium ferre, probabilior videtur prima sententia, quod scilicet solus baptismus reuiuiscat quia pro eo solo sufficientem habemus auctoritatem, rationes quæ pro alijs sententijs adferuntur, non sunt tanti momenti, vt in rependente ab alterius voluntate indicemus Sacramenta reuiuiscere, si ex solidiori principio id non innotescat, præsertim cum commodè solui possint.

Nam quod Sacramentum repeti nequeat, non sufficit vt dicamus indignè accedentem, gratiam habituale postmodum recipere virtute illius; neque etiam id dicere est necessarium propter alteram rationem, quia sufficit si resurgenti & habenti aliunde gratiam habituale dentur auxilia ad finem Sacramenti, quod fidei recepit, quæ auxilia dari possunt ratione Sacramenti, licet gratia iustificans non detur, ratio est quod cum illa non statim dentur, sed tempore opportuno, dummodo subiectum sit gratum, commodè dari possunt & debent, quamuis gratia sanctificans non detur virtute Sacramenti; quæ ratio potest etiam aptari matrimonio & extremæ vnctioni.

Similiter si detur confessio informis, non est necessario dicendum illam reuiuiscere, vt obtineatur remissio peccati in ea explicati, neque id potest colligi ex institutione penitentia, nam per institutionem Sacramenti solum est institutum, vt nullum peccatum commissum post baptismum remittatur sine ordine ad clauis, id est sine obligatione illud subiiciendi clauibus, quod factum est etiam per confessionem informem, vnde tale peccatum potest postmodum remitti indirectè per subsequens Sacramentum penitentia, vel directè per contritionem, quæ contritio non necessariò includit votum penitentia; cum peccatum ex supposito non debeat amplius subiici clauibus.

Denique quod Sacramentum sit opus Christi viuum, non multum vrget; cum ad hoc sufficiat quod vitam animæ possit tribuere spiritualiter mortuo accedenti cum debita dispositione, licet non reuiuiscat.

Si tamen vllum Sacramentum præter baptismum reuiuiscat, non improbabiler dici potest omnia reuiuiscere propter rationem vltimæ sententia.

QVA